

† R. P. Aloisius Mommarlz (1885-1945)

(Prov. Germ. Inf.)

P. Mommarlz natus est 14-XI-1885 in Rath prope Erkelenz in Rhenania, quartus e tredecim liberis (1) et primus mas, quem parentes pii iamdiu Dei servitio consecraverant, si modo infans huius sublimis vocationis gratiam recepturus esset. Et revera eam accepit, et a. 1887 puerulus duodennis ingressus est in nostrum iuvenatum Vaalsensem. In tota vita bonum semel inceptum admirabili constantia prosequabatur; quare inde ab initio eius vocatio redemptoristica in tuto collocata esse videbatur.

Sine difficultate studia litterarum et postea superiora philosophiae et theologiae persolvebat. Memoria quidem eius minus erat felix, sed eo maius erat intelligentiae eius acumen et, ut iam dictum est, vis ferrea voluntatis. Mira velocitate quamlibet rem propositam mente concipiebat, et in conversatione nemo eo promptius poterat responsum dare.

At sicut igne probatur argentum et aurum camino, ita corda probat Dominus (Prov. 17, 3). Aloisius noster, eoque semper sanus, in studentatu in talem incidit morbum, ut assecutio sacerdotii valde dubia fieret. Quantopere tunc pii parentes ac sorores Deo et Caelicolis supplicabant pro eius sanatione! Et preces fervidae exauditae sunt; Aloisius, qui iam 14-IX-1904 vota nuncuparat, saltem 19-VIII-1913 Coloniae ordinari potuit sacerdos.

Triginta duos sacerdotii annos a Deo sibi concessos transegit cum fidelitate et fervore constanti, et quamquam nunquam praedicavit aliquam missionem, vix unquam in nostra ecclesia confessiones excipiebat, perraro sacrum pegma ascendebat, nihilominus pro Congregatione, ergo pro Deo plus laboravit quam ordinarie tres alii. In Provinciae suae iuvenatu per 15 annos docuit historiam, mathesim, physicam, chemiam, et scholam suam physicae iucundam reddere poterat permultis experimentis, quia Superiores, eius sub multiplici respectu debitores, perlibenter ei nova instrumenta procurabant. A discipulis exigebat multum, nec cum eius extra scholam, velut in deambulatione, conversari volebat;

(1) P. Hermannus Tisken (de eo vide *Analecta* 1951, p. 63-66) volebat scire unam ex tot Aloisii sororibus appellari *Alleluia*, sed post Septuagesimam *Laus tibi, Domine!*

nihilominus erat amatus, quia iustissimus et ad scholas superogatorias debilioribus dandas semper paratus.

Quod inde ex a. 1928 amplius docere non poterat (Collegium quippe Iosephinum Bonnense, ab auctoritate civili iuribus gymnasii publici ditatum, habere volebat magistros publico diplomata insignitos), et quod a Superioribus ad nullum amplius laborem apostolicum destinabatur, dolore quidem haud parvo eum effecit; verumtamen nunquam audiebatur hanc rem lamentari. Naviter pergebat quamcumque aliam operam sibi iniunctam exsequi. Provinciae Superiori erat a secretis, et forte nunquam exstitit secretarius magis fidus, magis expertus, magis ad omne sacrificium paratus. Habebat quoque sibi commissum officium editoriale *Hofbauer-Verlag*, quod incredibili sollertia ac peritia curabat, haud secus ac folia periodica *Der Volksmissionar*, quae defletus P. Carolus Jordan moderabatur. Pro eis P. Mommartz ipse etiam multos scripsit articulos, passim ex alia lingua conversos, qui legentibus valde placebant, et scripsit quidem sub pseudonymo P. *Almo*, quo *Alois Mommartz* abbreviatum latebat (1). Folia privata Provinciae *Nachrichten* fere universa ab eo, iussu et auctoritate PP. Provincialium Arens et Schneider, compilabantur.

Quis autem dixerit, quot paginas suis digitis, mire expertis e machina scriptoria effluere fecerit, ut petitioni alicuius confratris morem gereret? Modo dictabant ei aliquam epistolam, modo concionem, modo articulum prelo destinatum, modo dissertationem doctam pro Universitate. Magnopere quoque meruit de libro JANSEN-HENZE, *Der hl. Alfons Maria von Liguori und die Gesellschaft Jesu* (Freiburg, 1920). Scribebat citissime et accuratissime, et postea saepe textum mechanice multiplicabat. Etiam Ordo Divini Officii seu Directorium Provinciae ei creditum erat.

Aliam utilitatem grandem suis confratribus hic vir singularis caritatis plenus attulit Bonnae bis magnam bibliothecam ordinando; nam cum libri a. 1920 Vaalsio Bonnam translati essent, primum uno, dein altero plane diverso loco collocandi erant. Et quot coronas Rosarii eius diligentissimae manus sacerdotales tempore recreationis aliove libero tempore confecere! Deus solus id scit, et partim illi Fratres coadiutores, eum adiuvantes in mittendis his coronis persolidis ad loca nostrarum missionum. Lucrum haud parvum pecuniarium inde Provinciae obvenisse patet. Memoremus etiam servitia praestita pulsando organo vel harmonio vel clavichordio; erat enim musicus valde habilis.

Nunquam vero altruismus Patris Mommartz magis in aprico apparuit quam post constructionem nostrae domus Trevirensis 23-XII-1944. Ad hanc vetustam

(1) Collega P. Franciscus Xav. Rader (de quo *Analecta* IX, 236-239) quondam ei dixit se in Breviario (Cum Patre et almo Spiritu!) identidem eius nomen legisse! et P. Henze, cum prope Romam reperisset rivum « classicum » Almonem, hodie *Acquataccia*. pristino collegae misit chartulam cum mille salutationibus « humidis » eius « consobrini » Almo!

Mosellae urbem venerat, cum foror nazista nostrates 10-IV-1941 e magno Collegio Bonnensi eiecisset. Vicarius Generalis Trevirensis tunc in eo invenit adiutorem singularis peritiae ac fidelitatis, quamquam bonus religiosus aegre ferebat diuturnam extra claustra mansionem. Et cum versus finem anni 1944 totus Vicariatus evacuaretur, ipse quoque urbem relinquere coactus est, licet per breve tempus.

Nostra autem domo cum ecclesia maxima ex parte eversa (1), videbatur P. Mommartz quasi sexagenarius indefesse occupatus in opere instaurationis, modo in ima domo, ad rudera semovenda, modo in tecto ad pluvias et nives arcendas, brevi, una cum suis confratribus iuvenili ardore intentus laboribus magis urgentibus, ad domum denuo habitabilem reddendam.

Et omnia haec per totam vitam faciebat absque ulla iactantia, singulari cum modestia et humilitate simulque cum hilaritate. Et semper erat Regulae observantissimus, nullam petens exemptionem aut dispensationem. Omni die eodem tempore conspiciebatur recitare suum Breviarium ac suum Rosarium vel facere suam SS. Sacramenti visitationem. Omni anno Quadragesima ei erat vere tempus poenitentiae et ieiunii, quol claudebat decem diebus exercitiorum « in totali secessu et stricto silentio ». Verum haec eius Regulae observantis non erat confratribus molesta. Manebat « ens sociale », gaudens et ridens in conventibus familiae cum ceteris, nec respuens bonum nicotianum bacillum (2) a bono Superiore forte oblatum.

Cesseverat tandem Maio 1945 immane bellum; cessaverat persecutio nazismi. Augusto eiusdem anni P. Provincialis Flesch nominavit Patrem M. suum secretarium et Provinciae Archivarium atque alterum eiusdem Procuratorem. Iam laeto animo P. M. parabat iter Coloniam, valedicens 20 Augusti Vicario Generali Rev.mo Henrico v. Meurers, cum supremus Universi Dominus eum iussit aliud iter facere: in patriam aeternam ad tot laborum mercedem recipiendam. Post brevem infirmitatem bonus P. M. mortuus est Dominica 2-IX-1945, sexaginta annis nondum completis.

Post funerum sollemnia (et vere talia fuerunt, quia eius opera in Vicariatu eum permultis e clero dioecetano notum reddiderat) quidam Praelatus inquit: « *Sie haben einen guten Menschen viel zu früh begraben* » (Sepelistic valde immature hominem bonum!) et quidam confrater ait Patrem M. fuisse unum ex Patribus maxime perfectis, quos unquam novisset.

PESCH - HENZE

(1) Vide *Analecta* 1951, p. 106 s.

(2) Sic. A. BACCI vertit *sigaro!*